

PHILOSOPHIA MORUM

Ordine, quo tractari solet, post Philosophiam mentis & sensuum postrema est, dignitate autem prima. Dicitur autem Ethica morum Magistra & disciplina ex rationis lumine dirigens actiones humanas ad honestatem & felicitatem naturalem; ejus proinde munus est, ut regulas morum a natura scriptas interpretetur & sic tironem Philosophum præparet, ut in sublimioribus Scientiis majori tum vitae tum doctrinæ fructu ac commodo versari possit.

I. *Vera hominis felicitas non consistit in ulla creato seu fortunæ, seu corporis, seu animi bono, sed in solo Deo, cuius beata possessio post mortem consequenda revera est finis ultimus hominis.*

II. *Regula morum non est natura rationalis, sed lex Dei æterna, quam conscientia certe paedagogus animæ applicat & veluti in tabula naturali legendam exhibet.*

III. *Peccatum philosophicum *) non datur, aliud est de peccatis Philosophorum.*

IV.

*) Annon merito succenséat Philosophus, quod abortus, qui singitur esse contra solam rationem, non contra Deum, dicitur PECCATUM PHILOSOPHICUM, quasi vero Philosophus solam rationem spectaret, non Deum, cum tamen primaria cura Philosophi esse debeat, nosse Deum & ex fabrica mundi & creaturis veluti ex aperto libro legere Creatorem;

IV. *Datur jus naturæ, idque omnes & filios homines ratione utentes non solum dirigit, sed etiam vere obligat.*

V. *Præcepta juris naturæ prima & generalia nequeunt ab homine rationis compote ignorari.*

VI. *Jus naturæ est immutabile, neque admittit dispensationem aut Epicurianam propriæ talem.*

VII. *Principium sive dictamen juris naturæ constitutivum practicum & fundamentale est præceptum amoris triplicis erga Deum, seipsum & proximum.*

VIII. *Principium cognoscendi adæquatum & legitimum juris naturæ intra naturam est recta ordinatio naturæ rationalis ad finem ultimum: extra naturam sunt perfectiones Dei, præsertim ejus Sapientia & Providentia.*

IX. *Principium socialitatis a PUFFENDORFIO multo studio propugnatum non est adæquatum & pluribus nævis obnoxium.*

X. *Lex etiam humana debitum vestita conditionibus vere obligat in conscientia.*

XI. *Ad valorem legis humanæ necessario requiritur promulgatio, non acceptatio subditorum.*

XII.

XII. An Lex Ecclesiastica universalis debeat pariter in diœcesisibus juxta normam legis civilis promulgari, gravibus in utramque partem a Theologis & Canonistis disceptatur, nobis sufficit promulgatio facta Romæ.

XIII. Lex Evangelica est vera lex, nec præcipit impossibilia, ejus proin præcepta non sunt indigna vincula libertatis.

XIV. Datur Religio, quæ debetur supremo Deo, & causa discordiarum aut tormentum conscientiarum dici nequit.

XV. Religio non est inventum mere politicum a Magistratu politico aut principe, quo subditi in obsequio continerentur.

XVI. Religio naturalis non sufficit homini ad perfectam felicitatem adducendo, hinc Religionis revelatæ necessitatem contra Deistas defendimus.

XVII. Nunquam licet se ipsum occidere.

XVIII. Bellum ex justa causa suscipiendum non est jure naturæ prohibitum.

XIX. Bene autem Duellum privata auctoritate susceptum.

XX. Passionum motus de se mali non sunt.